



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 23. Emendationis formula a Cæsare Augustæ promulgata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI
A C. 1548.

eumque relinquere nolunt, super ea quoque re deliberationem, & sententiam Oecumenici Concilii expectent: hi tamen, qui utriusque speciei usum amplectuntur, illam inueteratam sub una specie communicandi consuetudinem reprehendere non debent: nec alteri alteros perturbent, donec super ea re Concilium Oecumenicum decreverit. Et quamquam Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie institutum sit, non tamen sentiendum est, Christum in carne dividi, contra quam Scriptura divinitus inspirata tradit, sed sub singulis speciebus integrum contineri. Ac quoniam in Sacramento Eucharistiæ est verum Christi Corpus, & verus Christi Sanguis, in hoc Sacramento, Christum merito adorari debere, item Sacramentum Eucharistiæ semel verbo Christi consecratum, etiamsi asservetur diutius, tamen Sacramentum, & corpus & sanguinem Christi permanere, donec sumatur.

§. XXIII.

Emendationis formula a Cæsare Augustæ promulgata.

*Pallav. lib.
II. cap. 2. n. I.
& seq.*

Perlectis hisce articulis Imperii Ordines Cæsarem rogarunt, ut pariter in iisdem Comitibus pro emendanda Ecclesiæ disciplina formulam confici juberet: Annuit Imperator edito hanc in rem decreto, quod die decima quarta Junii

Junii prælectum, atque acceptatum se- Sæcul. XVI.
 quentes viginti duos articulos circa re- A. C. 1548.
 formationem continebat *I. de ordinatio-*
ne, & electione Ministrorum Ecclesiæ, de eo-
rum moribus, scientia, atque ætate. II. De
officio Episcoporum, & Archidiaconorum,
Parochorum &c. III. De obligationibus
Decanorum, & Canonorum. IV. De
Officio Divino, & Psalmodia. V. De re-
formatione Monasteriorum Regularium, ac
Sanctimonialium. VI. De Universitatibus.
VII. De Xenodochiis. VIII. De præ-
dicando Evangelio in sua puritate juxta in-
terpretationem Sanctorum Patrum. IX.
De Administratione Sacramentorum agit.
X. Usus Lingue Latine in Sacris appro-
batur. XI. Monentur Episcopi, ut Con-
firmationis Sacramentum administrent. XII.
Approbatur Canon Missæ, ususque pacem
dandi, nec non statuitur, quod sub elevatione
hostiæ nihil cantetur, simulque decernun-
tur ea, quæ sacras Pyxides, & Taber-
nacula concernunt. XIII. Innovatur lex
de confessione saltem semel in anno apud
proprium Pastorem deponenda. XIV. A-
gitur de extrema Unctione. XV. Sta-
tuuntur ea, quæ Matrimonium spectant.
XVI. Afferuntur rationes mysticæ, ob quas
cæremonicæ Ecclesiæ fuerunt institutæ.
XVII. Conduntur statuta circa Cleri, po-
pulique mores. XVIII. Damnatur plu-
ralitas beneficiorum. XIX. Decernitur,
 O o 4 quali-

Sæcul. XVI *qualiter populos regi oporteat. XX.*
A. C. 1548 *Mentio habetur de Episcoporum visitationibus. XXI. Præscribuntur Synodi Diocesane omni biennio, ac Provincialia Concilia singulis trienniis celebranda. XXII. Agitur de excommunicatione, monenturque Judices Ecclesiastici, ne anathema pronuntient, nisi in causis criminalibus, gravibus, ac mortalibus, necnon duntaxat in eos, qui alia via ad officium redigi nequeunt.*

§. XXIV.

Hæc formula Interim a Protestantibus æque, ac a Catholicis rejecta.

Steidan. initio lih. 21. pag. 736.

Hic igitur erat tenor percelebris illius decreti a Carolo V. editi, quod vulgo *Interim* dictum universam Europam tot, tantisque tumultibus agitabat; nam reprobabatur unanimi consensu non tantum a Catholicis, sed ipsi etiam Protestantibus, Cæsar tamen illius Auctores largis muneribus augebat; Islebius enim a Cæsare, atque a Ferdinando Romanorum Rege liberale donum ob navatam operam retulit: Michael vero Sidonius Episcopatum Merseburgensem in Saxonia postmodum consecutus est. Equidem disertis verbis cautum erat, ne quis hanc formulam impugnare præsumeret, plures tamen prodire libri, quibus hæc doctrina, necnon ipse

Pall. l. II. c. I. num. I.